



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 2. An Contritio perfecta semper justificat extra Sacramentum, per  
modum scilicet dispositionis ultimæ, licet non sine voto Sacramenti?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Trid. sess. 14. c. 4. ut autem valeat ad remissionem mortalium sive intra, sive extra Sacramentum, necessariò debet esse interna, supernaturalis, universalis, efficax, & appetitiuè summa.

*Resp. II.* Dividitur in perfectam & imperfectam. Contritio perfecta est ea quæ concipitur ex actu seu motivo charitatis perfectæ: unde est dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, propter Deum supra omnia dilectum propter se, hoc est propter infinitam amabilitatem suam, seu perfectiones absolutè spectatas. Imperfecta, quæ Attritio dicitur, est ea quæ ex alio motivo supernaturali, quàm charitatis concipitur, ut ex peccati turpitudine, vel ex gehennæ & pœnarum metu. *Trid. sup.* Quare differunt specie, cum habeant diversa motiva: differunt etiam ex parte effectûs; nam perfecta Deo reconciliat extra Sacramentum cum ejus voto, non imperfecta: quoad cætera conveniunt.

**Q. 2.** *An Contritio perfecta semper justificat extra Sacramentum, per modum scilicet dispositionis ultimæ, licet non sine voto Sacramenti?*

*Resp. Aff. Prob. 1.* Ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. vitâ vivet.* 2. Ex Trid. sess. 14. c. 4. *Docet etsi Contritionem hanc aliquan-*



quando charitate perfectam esse contingat, hominemque reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam. 3. Quia S. Pius V. & Greg. XIII. damnarunt hanc Baii propos. Per Contritionem etiam cum charitate perfectâ, & cum vero voto percipiendi Sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.

Imò quilibet actus charitatis perfectæ, quem Contritio perfectâ includit, & qui dicitur contritio virtualis, absolutè sufficit extra Sacramentum ad justificationem, sine dolore & proposito formali, ut constat 1. Ex Script. Prov. 8. Ego diligentes me diligo. Joan. 14. Qui diligit me, diligetur à patre meo; & ego diligam eum, &c. 2. Ex Patribus id passim asserentibus. 3. Quia damnatæ sunt hæ Baii propositiones. 32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. 70. Homo existens in peccato mortali, potest habere veram charitatem. 4. Quia perfectâ Dei dilectio est perfectâ conversio ad Deum. Tamen actus charitatis perfectæ non reconciliat hominem Deo sine voto Contritionis & Sacramenti, quod in illo virtualiter & implicite includitur, nec sine obligatione eliciendi postea Contritionem formalem de iisdem mortalibus jam remissis, & eâdem confitendi.